

1880/.

DE TELAE CELLULOSAE  
INDURATIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

CAESAREA LITERARUM UNIVERSITATE  
DORPATENSI

GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE IMPETRATURUS

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

*C. HENR. GUILIELMUS SODOFESKY,*


RIGENSIS.

Opponentibus:

J. H. de Koehler, Doct.

E. Wichert, Dd.

R. Böncken, Dd.



DORPATI LIVONORUM

EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNI

MDCCLXXXIV.

**I m p r i m a t u r,**  
ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit  
dissertatio, septem exemplaria collegio, cui librorum  
censura mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor, d. xxix. Apr.

MDCCCXXIV.

Fr. Parrot, h. r. Decanus.

D 10186

### *I n t r o d u c t i o.*

**D**e telae cellulosaе induratione his in plagulis  
disserere eo apud animum constitui, quod nume-  
randa sit in morbis, circa quorum naturam et  
conditionem determinandam magna inter artis nos-  
trae heros et antesignanos vigeat discordia; dein-  
de quod haud ita pridem diligentius observari  
atque indagari, demum coeperit iste morbus, qui  
plurimis quidem locis non nisi rarissime apparet,  
cujus igitur observandae multis medicis non da-  
retur occasio; cujus diagnosi praeterea saepius  
admodum sit impedita, causae adeo et therapia  
incertae atque ancipites. Denique et eo id the-  
matis tractandum sumere mihi visum est, quod  
talis tantaeque rei (qualis iste morbus est) quali-  
cumque modo collustrandae quodvis tentamen  
aequi bonique facere soleant benevoli lectores.

Quum suadeatur, quinimmo injungatur tironi  
medico, ut in quocumque alio morbo tractando  
fidem ne habeat suae ipsius experientiae solisve  
suis observatis, sed potius morborum historias,  
a fide dignis auctoribus nobiscum communicatas,  
strenue perlustret animoque perpendat: tanto ma-

gis equidem in morbo isto delineando, magis aliorum auctorum descriptiones jam exstantes, quam mea ipsius experta secutus, dignus esse excusatione mihi videor. Quae hieme A. 1821 Berolini videre et adcurate observare mihi contigit istius morbi duo exempla in tanto auctorum dissidio non prodesse mihi non poterant, quin neque solam aliorum auctoritatem sequerer, neque nimio opinionis cujuscumque celebratae amore ducerer.

Ceterum habeo, quod optem, ut composam voti in inchoando hoc labore suscepti: ut huic primo meo specimini literario contingat, saltem aliquantulum lucis obfundere tenebris, quibus obnoxia est morbi hujus omnis conditio, deinde ut indulgenter dijudicent lectores has meas primitias; denique ut occasionem praebeant peritioribus, hanc rem animo ulterius perpendendi, maiorique cum fructu, quam mihi forte contingerit, suam in ea operam collocandi.

## §. 1.

## Nomina morbi.

Morbi, in quo indagando versamur varia sunt nomina, ut:

- Induratio telae cellulosae 1)
- Zellgewebsverhärtung, Verhärtung des Zellgewebes, 2)
- Endurcissement du tissu cellulaire, 3)
- Enfans gelés, Enfans durs, 4)
- Skin-bound, 5)
- Spannung des Zellgebebes, 6)

---

1) Jos. de Frank: Praec. praxeos medic. Vol. II. P. 623.

2) Lodemann: Ueber die Verhärtung des Zellgewebes, in C. W. Hufelandi: Journal für die praktische Heilkunde, Vol. XXI. Oct. P. 57.

3) Andry: Recherches sur l'endurcissement du tissu cellulaire in: Sammlung auserlesener Abhandlungen für prakt. Aerzte, Vol. XV. P. 604.

4) Andry: eodem in loco.

5) Underwood: treatise on the diseases of Children. Lond. 1784. P. 77.

6) Stütz: Beobachtung einer Zellgewebsverh., in Hufel. Journ. Vol. XIV. 4. P. 32.

Erysipelas scirrhosum, 7)

Sclerème, 8)

Scleremia. 9)

Nomen Franco-Gallicum: Endurcissement du tissu cellulaire, aut quocumque alio sermone redditum, licet non omnino omnem rei conditionem exprimat, (non nisi symptoma indurationis telae cellulosae, haud rem ipsam inuens) ceteris omnibus hodieque propositis mihi quidem praefendum esse videtur, tum quod notio istis expressa, haud minus manca sit atque imperfecta, tum quod, ductus veneratione illius viri, qui primus attentionem huic morbo tribuendam excitavit, praeter maximam necessitatem nomen, ab eodem isti inditum, immutari nolum.

Nomen „tensae cutis“ cuius usum suadet Cel. Stütz, sane haud aptius est, quam quo usus

---

7) Jahn: Neues System der Kinderkrankheiten. Rudolphst. Anno 1807. P. 207.

8) Chaussier, in: Dictionnaire des sciences médicales. Vol. XII. P. 206.

9) Alibert: Nosologie naturelle. Parisiis 1804. P. 394.

est Cel. Andry, quod cutis hoc morbo laborantium non solum sit tensa, sed simul etiam dura ac frigida, hinc haud magis tensa, quam indurata, dici possit. Idem valet in Anglicum morbi nomen Skin-bound (h. e. tensa cutis). Denominationes: *Enfans gelés*, *Enfans durs*, quibus in nosocomiis Franco-Gallicis utuntur infantum curatrices, pariter minus sunt aptae, et eo quidem, quod scilicet non universus infans frigidus sit ac durus, sed modo per corporis quasdam partes.

Nomina „Sclerème, Scleremia“ ex Graecorum sermone petita (α κ λ η ρ ὶ ω, induresco), non nisi in genere morbi statum designant duramine quocumque conspicuum, indurationis loco non indicato; ergo magis etiam manca, quam priscum nomen, sunt dicenda.

„Erysipelas scirrhosum“ denique alium omnino morbum indicat; ergo reprobandum utique fuerit hoc nomen.

## §. 2.

Historia indurationis telae cellulosae.

Neque ab antiquioris, neque medii aevi me-

dicis vel minima hujus morbi facta est mentio, nullum in illorum scriptis reperias vestigium. Utrum omnino nondum exstiterit illis temporibus, an ab illarum actatum medicis observatoribus fuerit neglectus, equidem dijudicare non ausim. At nonne nefas fuerit, tantae incuriae et negligentiae incusare viros, quorum ingeniosa atque accurata morborum delincendorum ratio ad haec usque tempora cessit in exemplar commendabile ad imitandum? non summa adfeceris eos injuria?

Jam ex anno 1718 exstitisse quidem videtur hic morbus, at tum propter istius raritatem, tum quod male permutaretur cum aliis morbis (ut: cum Tetano, Erysipelate neonatorum, Syphilide,) minus diligens erat disquisitio ejus donec tandem Cel. Andry Anno 1735 primam eandemque omnino determinatam illius exhiberet descriptionem. Primum illum fuisse, qui hunc morbum describeret, testatur opus illud Franco-Gallico sermone conscriptum: Dictionaire des sciences medicales. Tom. XII. P. 206.

Exstant quidem praeterea quaedam observa-

tiones ab Uzenbez, 10) Doublet, 11) Underwood 12) prius factae: at haec magis pertinent ad erysipelas neonatorum, non quidem ad telae cell. indurationem. Inter Germanos Cel. Hufeland 13) primus ad hunc morbum convertit medicorum attentionem cujus exemplum mox plures secuti sunt Germaniae medici, communicantes nobiscum sua experta, in quibus potissimum eminent Stütz 14) Lodemann 15) Carus 16) Henke 17) Goelis 18) et, recentissimis tem-

---

10) Uzenbez in: Schurigii Embryologia. Sect. III. P. 211.

11) Doublet, in: Samml. auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte, Vol. XV. P. 604.

12) Underwood l. c.

13) Hufeland, in ejus: Annalen der franz. Arzneykunde. Vol. I.

14) A. W. Stütz l. c.

15) Lodemann l. c. et in: Hufel. Journ. Vol. XXXII. Sect. 4. P. 53. subtitulo: Nachtrag zur Zellgew. Verh. der Neugeb.

16) Carus; Ueber die Zellg. Verh. der Neugeborenen in Hufel. Journ. XLII. Sect. II. P. 110.

17) A. Henke; Handbuch zur Erkenntnifs u. Heilung der Kinderkrankheiten. Francof. 1821. Vol. 1. P. 194 seq.

18) Goelis in: Medic.-chir. Zeitung 1812. No. 9. et 1815. No. 85.

poribus, Zimmermann 19), Fenner de Fennenburg 20) et Harlefs 21). Inter Anglos observavit hunc morbum Doublet, Underwood, Walsham 22) et Denmann.

Inter Italos descripserunt eum Moscatti 23) et Bruni 24). In recentissimae aetatis auctoribus Franco-Gallicis qui delinearunt hunc morbum maxime insignis est Breschet 25). In hospitiiis

---

19) Zimmermann: Einige Bemerkungen über die Rose der Neugeborenen in: Magazin der ausl. Literatur der gesammten Heilkunde, herausgegeben von Gerson und Julius, sect. mens. Maii et Jun. 1823.

20) Fenner von Fennenburg: Ueber die Zellgew. Verhärtung in: Rhein. Jahrbüchern für Medicin und Chirurgie, herausgegeben von C. F. Harlefs, Suppl. ad Vol. I—IV. P. 214.

21) C. F. Harlefs: Bemerkungen und Beobachtungen über die Rose und Zellgewebsverhärtung der Neugeborenen in Rhein. Jahrb. Vol. III. Sect. II. P. 85.

22) Walsham in Samml. auserl. Abhandlungen etc. Vol. XIX. P. 565.

23) Moscatti: über die Verhärtung des Zellgewebes in Kühn et Weigel ital. med.-chir. Bibliothek. Vol. II. P. 85.

24) Bruni, in: E. Loder über ärztl. Verfassung etc. Lips. 1815. P. 141.

25) Breschet, in Graefe u. Walther Journal für Chir. und Augenheilkunde. Vol. IV. Sect. III. P. 481.

infantium expositorum majoribusque nosocomiis, in quorum numero Parisiense (Hôpital des enfans trouvés) magnâ, indurationis telae cellulosae laborantium, mortalitate, in primis semper erat dif-famatum, longe frequentissime hic morbus in neonatis cernitur. Attamen et in Germaniâ, praecipue in magno illo infantum expositorum hospitiio Viennensi, cui dirigendae Cel. Goelis praecerat, satis frequenter est obvius; rarius in aliarum terrarum tum hospitiiis et nosocomiis, tum intra pri-vatos parietes.

### §. 3.

#### Symptomatologia.

Jam supra monuimus, telae cellulosae indu-rationem in neonatis solummodo aliorum morbo-rum modificationem et complicationem esse puta-tam, antequam tanquam peculiaris morbus exhiberetur eique in systemate nosologico locus con-cederetur. Ita quidem factum est, ut morbi ima-ginis inconstans quaedam forma nasceretur ad re-centiora usque tempora, ex parte, servata. Cujus rei documentum exhibet Horniana illa disserta-tio 26), cui titulum quidem praefixit Perill. au-

---

26) E. Horn: Archiv für die prakt. Medicin und Clinic 1810. Vol. II. Pag 109 seq.

ctor: „de telae cell. induratione“, re vera autem de nulla alia re, ac de erysipelate neonatorum disputans. Etiam Ccl. Neumann 27) de telae cell. induratione disputaturus, de mero erysipelate et adfectionibus cognatis disserit.

Negandum quidem non est, morbi istius quaedam symptomata fere eadem esse, quae quorundam aliorum morborum; attamen existunt tam distincta differentiae signa, ut haud minoris temeritatis esset, istum peculiarem morborum speciem non habere, quam post Wichmanni merita, asthma Millari angina polyposa confundere.

Quantumvis cum trismo (a Frankio 23) cum syphilide (a Goelasio, Underwoodio) cum stomacace (a Fischero 29) cum phlegmatia alba dolente (a Lodemanno 30) et cum erysipelate neonatorum

---

27) Neumann: de inflammatione telae mucosae Diss. inaug. Berol. 1820.

28) Jos. Frank: Reise nach Paris und London. Viennae 1804. Vol. I. P. 72.

29) Fischer: Ueber Stomacace, Rose und Zellgewebsverhärtung in Hufeland. Journ. T. XXXII. Sect. I. P. 80.

30) l. c. P. 67.

(a Richtero, 31) Zimmermanno 32) etc. telae cellul. induratio esset comparata: equidem tamen crediderim, non nisi morbum, postremo loco commemoratum illi tam esse consimilem, ut facilissima putari possit utriusque, non satis diligenter observati, confusio. Necesse igitur fuerit, utriusque morbi formas singulas delineare et, qua in re tum differant, tum conveniant, monstrare. Quum vero multi auctorum, sub nomine indurationis telae cellulosaе, exhibuerint observationes, ad omnino alias adfectiones quae spectent: in utroque morbo delineando, earum solummodo rationem habebō, quae re ipsa, non solo quidem titulo, ad telae cell. indurationem respiciunt.

#### I. Telae cell. indurationis delineatio.

Invadit potissimum infantes, primos vitae dies agentes hic morbus. Mentionem quidem facit infantis mensium quinque, hoc morbo adfecti Ccl. Zimmermann 33) et alius mensium octo Ccl.

---

31) G. A. Richter: Entwurf einer speciellen Therapie. Berol. 1817. T. II. P. 201.

32) l. c. P. 345.

33) l. c. P. 354.

Fenner de Fennenburg: 34) quin adeo omnino adultorum Cel. Henke 35), Jäger 36), et Curzio 37). Sed tam pauci sunt adulti hoc morbo affecti, ut statui omnino liceat, non invadi hoc morbo infantes, nisi sex octove dies natos. 38, 39) Neonati igitur maxime a parentibus infirmæ valetudinis geniti, ipsique infirmioris habitus, primum inquietos se gerunt, insomnes, sæpe missis lactantibus uberibus. Inter quæ symptomata variis locis simul oborta maxime in genis, circa pudenda et in extremitatibus dura, inflata et frigida animadvertuntur loca, quæ, digitis tacta, dolorem non inferunt aegrotanti 40). Tam insignis durities est, ut ex digiti pressu quocumque nulla remaneat

34) l. c. P. 216.

35) l. c. P. 202.

36) G. Jäger: Ueber die sogenannte Verhärtung des Zellgewebes in: Rheinische Jahrbücher etc. Vol. III. Sect. II. P. 209.

37) C. Curzio in: Samml. auserl. Abhandl. a. d. Med. u. Apothekerkunst. Francof. et Lips. 1757. P. 96.

38) Andry l. c. P. 611.

39) Lodemann l. c. P. 60.

40) Fenner de Fennenburg l. c. P. 207.

foveola 41). Febrilis status interea nullus animadvertitur, nec frequentior est pulsus, sed potius fere lentior, magisque vacuus; non accelerata respiratio, sed infirma nec fere percipienda 42), lactendi adpetentia non aucta. Imminuta per universum aegri corpus est calor temperies 43), ita, ut thermometrum infantis ori insertum, non nisi  $+ 18 - 20^{\circ}$  R. exhibeat, quo, in bene valentibus  $+ 28 - 30^{\circ}$  R. monstrante. 44) In primis insigne in affectis partibus frigus animadvertitur, ita, ut hoc ipso symptomate Franco-Gallica illa denominatio *Enfans gelés* sit petita. 45) Ejusmodi infans ignis calori admotus, aliquantulum quidem, sicut inanimum quod-

41) Andry l. c. P. 612. F. de Fennenburg l. c. P. 216.

42) Breschet l. c. P. 482.

43) Breschet l. c. P. 483.

44) Th. Léger: Considérations sur l'endurc. d. tissu cell. chez les nouveaux nés in: Rust crit. Repertorium f. d. gesammte Heilkunde. V. I. Sect. dupl. III. P. 448.

45) Andry l. c. P. 609. Fenner de Fennenburg l. c. P. 216.

cunq̄ue aliud corpus, calescit, at, simulac remon-  
tus ab igne infans fuerit, statim rursus evanes-  
cente calore 46). In locorum adfectorum colore  
describendo variant auctores. Creberrime sunt  
sublivida, ancipitis coloris. 47) Purpurea An-  
dry 48) vidit; pallida cereique coloris, Lode-  
mann 49) et Anglici medici 50). Omnino impe-  
dita est respiratio, vix percipienda thoracis ele-  
vatio; omnis vox fere deleta, gemens, sibilans,  
instar pullorum murium 51); fissa hiscunt labia,  
spuma oblecta 52); cessant excretiones. De exte-  
riori aegrotantis habitu haec refert Cel. Lode-  
mann 53); „Wie ein gefroren kleiner Marmor-

---

46) Andry eod. in loco.

47) M. Hasper: Bemerkungen über d. Findelhaus  
zu Paris in: Hufeland Journ. T. LVI. Sect. IV. P. 51.  
Breschet l. c. P. 483.

48) l. c. P. 609.

49) l. c. P. 61.

50) Lodemann l. c. P. 78.

51) Dorf Müller in: Stark neues Archiv f. Geburts-  
hülfe. Tom. III. Sect. I. P. 48.

52) Breschet l. c. P. 483.

53) l. c. P. 61.

block lag er da, blafs und kalt wie ein Erfrorner,  
hart wie Holz oder Stein ohne irgend einen Ton von  
sich zu geben, oder die geringste Bewegung zu  
machen.“ Et alio loco: 54) „Der ganze äußere  
Habitus war der eines Menschen, der von einem  
Berge verschüttet ist.“

Extremitates, imprimis inferiores tam intum-  
escunt, ut nonnumquam curvae, aut inflexae  
esse videantur, plantae pedum alias concavae,  
jam convexae. 55) Interdum in extremitatibus et  
maxillis, spasmodicae adsociantur contractiones,  
quibus maxillas infestantibus, omnino impeditur,  
quominus cibum potumve adsumat infans. 56)  
E contrario neuiquam contractos, sed relaxatos,  
reperit musculos Naudéan. 57)

Quo statu triduum, aut dies octo ad sum-  
mum 58) vigente, intra quod temporis spatium et  
durities et frigus augentur, respiratio magis magis-

---

54) l. c. P. 62.

55) Andry l. c. P. 609.

56) Eodem loco.

57) Hufeland Journal. Vol. XIV. Sect. IV. P. 49.

58) Breschet l. c. P. 483.

que coarctatur et angitur, vox magis magisque fit obscurior, saepe, saltim sub finem, spasms tonicis consociatis, morti plerumque succumbit miscellus.

Rarius, magis fauste rebus succedentibus, exoptatus eventus est observatus, sensim recedentibus symptomatibus istis; frigore imminuto, magis mollescentibus locis induratis, minus impedita respiratione, mobilitate artuum restituta; quibus benignioribus sub phaenomenis sanitas est restituta.

In telae cell. induratione laborantibus cadaverum resectio haec fere docuit: Mox post mortem omnino evanescit durities. 59) Lodemann autem, semel quidem, horis sex post mortem elapsis, fere omnino non mutatam deprehendit duritiem. 60) Incisis tumidis partibus, copiose permanat subluteum serum, simile albumini, quod, fervidae aquae immissum, coagulatur in solidam massam, in frigidà fluidum permanens. 61) Moscatti 62) in tela cellulosa extravasatam, eamque

59) Stütz l. c. P. 37. Carus l. c. P. 116.

60) Lodemann l. c. P. 72.

61) Andry l. c. P. 610. Breschet l. c. P. 483.

62) l. c. P. 86.

sanguineam reperiebat lympham. Angli, hoc in morbo numquam videbant ejusmodi fluidorum congeriem. 63) Granosus est adeps 64) sicut in glandulosis suis. 65) Tela cellularis nonsolum sub cute est indurata, sed etiam inter musculos, in peritoneo, in pericardio atque in arachnoidea. 66) Pulmones, maxime dexter, semper duri, obstructi, sanguine scatentes, 67) subcaerulei sunt reperti. Incisis autem vasis majoribus, sanguine emisso, pulmonibus paululum compressis et in aqua emolliis, aliquot horae minutioribus momentis, duritie amissa, quodammodo de novo crepitant. 68) Praeter hanc sanguinis exuberantiam Andry 69) reperit in iis magnam aëris copiam. Cor semper majus, quam solet esse, repertum, 70) plerum-

63) Lodemann l. c. P. 78.

64) Carus l. c. P. 116.

65) Andry l. c. P. 610.

66) Breschet l. c. P. 483.

67) Léger l. c. P. 450.

68) Breschet l. c. P. 484.

69) l. c. P. 610.

70) Léger l. c. P. 450.

que patens et foramen ovale et ductus arteriosus Botalli. 71) E contraria parte Hasper 72) refert, meminisse sese toties omnino clausam repertam a se esse utramque aperturam. Multum sanguinis continet systema venosum 73), quo in primis turgēbat vena umbilicalis 47). Semper solito brevior erat tractus intestinorum in centum huiusmodi cadaveribus longitudine ejus plerumque pedum septem et dimidii a Th. Legero reperta, quae alioquin pedum decem ac dimidii esse solet. 75) Hepar raro quidem adfectum, at magnum 76) est repertum. Fuscum et sanguinosum Carus 77) invenit; valde ingentem vesiculam felleam. Normales semper apparatus fellis deprehendit Breschet 78) solito contra majores atroque sanguine

---

71) Breschet l. c. P. 484.

72) l. c. P. 65.

73) Léger l. c. P. 450.

74) Breschet l. c. P. 484. Andry l. c. P. 610.

75) Léger l. c. P. 450.

76) Ibidem.

77) l. c. P. 117.

78) l. c. P. 484.

venoso repletos Andry. 79) Moscati 80) saepe, licet non semper, vitiosum jecur reperit, frequentius intestina inflammata. In cerebro nihil novi Léger invenit. 81) Carus 82) contra sanguine turgentes vidit meninges, super quibus subluteum serum, quin adeo, in quibus locis, sanguis effusus erat coagulatus. Cerebri substantia mollis erat, pulti similis et sublutea. Et in cavis cerebri sanguis erat effusus, ita, ut plexus cerebri coagulato sanguine utique circumfusae fuissent. Maxime insignis denique erat vasorum sanguiferorum cerebri minoris expletio, et hic et in regione medullae oblongatae serosis profusionibus obviis. In cavis cerebri aquam extravasatam Schäfer 83) semel reperit.

## II Erysipelatis neonatorum delineatio.

Non tribus octove quidem primis vitae di-

---

79) l. c. P. 610.

80) l. c. P. 85.

81) l. c. P. 450.

82) l. c. S. 116.

83) J. C. G. Schäfer: Ueber die gewöhnlichsten Kinderkrankheiten. Ratisbonae 1792. P. 27.

ebus, sed plerumque secunda demum aut tertia, post partum, hebdomade, observari licet in infantibus, cujuscunque habitus fuerint, jam subito, jam praeviis ictericis phaenomenis, febre, calore, inquietudine, alienatis alvi excretionibus aliisque symptomatibus gastricis comitibus, quocunque loco, in primis circa pudenda et circa umbilicum, et, morbo minus vigente, in facie, pectore et extremitatibus, ruborem exortum, conjunctum cum tumore. Locus iste, primum exilis, subito amplificatur, consolidatur, indurescit, pressusque, magnos aegroto infert dolores. 84) Rubor etiam cedit quidem prementi digito, illico autem revertitur. Simul cum his symptomatibus distincta febris oritur, capitis aestu, pleno frequentique pulsu, brevi-accelerataque respiratione, universali corporis temperie adaucta, insomnia, labiis linguaque siccis, fusco lotio, conspicua. Tum etiam functionum organorum digestionis oboriuntur turbationes, nisi, tamquam prodromi jam

---

84) Richter: Entwurf einer spec. Therapie. Berlini 1817. Vol. II. P. 200.

statim ab initio morbi adfuerint. 85) In morbi, dies 8 — 21 durare soliti decursu 86) nulla febris insignis mutatio cernitur; tanto insignius mutatur affectio topica. Tumor augetur, magis magisque amplificatur, durities et aestus augentur, magis fuscum rubor induit speciem, donec, morbo summum culmen adepto, marmoris instar variegatum, ex atro fuscum, aut sublividum nanciscatur colorem. 87) Hoc ipso tempore nonnumquam etiam comparent aphthae, petechiae et maculae gangraenosae. 88) Inter haec phaenomena morte saepe morbus finitur, saepe etiam, febre sensim decrescente, tumore discusso, cuteque veluti desquamata convalescit aeger, sanitatemque recuperat. Morbo sinistre tractato, nec raro, maxime tumore in glandulosorum organorum vicinia versante, indurationes remanent, veri scirrhi natura praeditae et in carcinoma transeuntes. 89)

---

85) Horn l. c. P. 118.

86) Richter l. c. P. 200.

87) Horn l. c. P. 119.

88) Hufeland: Ueber die Rose der Neugeborenen, im Archiv. Vol. X. Sect. IV. P. 157.

89) Richter l. c. P. 200.

Mortis ratio in erysipelate laborantibus est diversa. Alii pereunt sicut in quacunq̄ue alia exanthematica febre acuta, vi vitali celeriter consumpta, alii moriuntur incidentibus internorum organorum metastasibus, alii infirmitate sensim sensimque augescente et atrophia, 90) denique etiam lethifer erat transitus inflammationis in gangraenam. 91)

In cadaveribus, erysipelate mortuorum sectioni subjectis, haec fere sunt reperta:

Tumor locorum adfectorum, in plerisque, post mortem etiam perdurat; et in quibus morbi sedes in extremitatibus erat; haec factae erant tam deformes, ut, Ill. Hornio 92) teste, fere elephantiasis quandam leviozem speciem prae se ferrent. Cutis quadruplo crassior facta, a musculis subjacentibus difficilis erat separatu. Qua incisa mox profluebat copia fluidi crassi, puri consimilis,

---

90) Horn l. c. P. 121 — 122.

91) Richter: chirurg. Bibliothek etc. Vol. XLII. P. 581.

92) Horn l. c. P. 125.

mox magis lymphatici, quale in internarum partium inflammationibus reperitur in cavitatibus. 95) Granosus plerumque adeps erat. 94) In cavitatibus corporis, in illis quidem, quorum morbi lentior decursus fuerat, nil novi repertum; normale cerebrum, laxi pulmones, rubicundi, expansi aëre, ita, ut singula segmenta super aqua natarent; abdominis organa conditionis normalis. 95) In exemplis morbi, qui acutioris fuerat decursus, in cavis corporis, fluidum luteum, puri simile, est repertum. Cordis, intestinorum, hepatis et ventriculi superficies tenui, sublutea pseudomembrana, omnino sicut post febrem puerperarum et enteritidem observatur, erat oblecta. Praeterea et peritoneum et hepar plerumque insigniter inflammata, nec raro gangraenosa. 96)

---

93) Richter: Therapie. Vol. II. P. 201.

94) Horn l. c. P. 125.

95) Sybel: Eine Beobachtung der Rose der Neugeborenen in Hufeland Journ. V. XXXII. Sect. V. P. 109.

96) Horn l. c. P. 126.

### III. Telae cell. indurationis et erysipelatis neonatorum comparatio.

Utrâque morbi formâ, alterâ cum alterâ comparatâ, intelligas, nonnulla quidem utriusque eadem omnino esse symptomata, at in permultis tamen alteram ab altera differre.

Similes sibi sunt in his:

- 1) Quod utraque magis in hospitibus infantum expositorum et institutis parturientium adjuvamento dicatis, quam in privatis aedibus, est obvia;
- 2) Quod, in utrâque, dura tumidaque loca comparent in corpore, quae in articularum quidem regionibus obvia, horum mobilitatem impediunt;
- 3) Quod infantum tenerrima aetas utrique est obnoxia;
- 4) Quod passionis topicae primarius locus creberrime pudendorum regio est;
- 5) Quod cutis color, in locis adfectis conspicuus in utraque est rubicundus, lividus, decolor. Atamen et pallidus ceraeque similis, in telae cell. induratione, saepe color,

qualis numquam est in erysipelate neonatorum. Interdum mox evanescit etiam rubor in ipso telae cell. indurationis principio nonnumquam comparens; saltem numquam ad erysipelatis neonatorum nigricantem purpureae colorem accedit;

- 6) Quod mors utriusque finis est creberrimus;
- 7) Quod post mortem granosus saepe adeps reperitur.

Dissimiles sunt in his:

- 1) In telae cell. induratione nulla febris; erysipelate contra cum febre semper associato.
- 2) In t. c. induratione compluribus locis simul comparet passio topica, hac contra in erysipelate neonat. procedente in uno loco, indeque ulterius propagata.
- 3) Non dolorosa in t. c. induratione istorum locorum conditio; utpote dolor adsit in erysipelate neonat.
- 4) Tum universi corporis, tum singularum partium adfectarum in t. c. induratione laborantibus temperiei insignis imminu-

- lio; quod contra non obtinet in erysipelate neonat.
- 5) Respiratio, in t. c. induratione lenta, debilior, impedita, nec fere percipienda, ut quae crebra, brevis sit in erysipelate neonat.
  - 6) Phaenomenorum sive gastricorum, sive ictericorum in t. c. induratione raritas; quippe quae in erysipelate neonat. semper compareant.
  - 7) Accedentis in t. c. induratione gangraenae raritas; in erysipelate neonat. summa frequentia.
  - 8) Terminationis ambarum varietas; quum t. c. induratio tonicis terminetur spasmis, erysipelas autem multo saepius aliis modis fini solet.
  - 9) In loco adfecto, digitis presso, nulla in t. c. induratione remanens alba nota, solita in erysipelate neonat.
  - 10) Plerumque disparsens post mortem t. c. induratione laborantibus et durities et tumor, saepe permanens in erysipelate neonatorum.

- 11) Locis in t. c. induratione adfectis, post mortem incisis, serum, albumini consimile, ex atro flavum, copiose profluens, ferventi aquae immisum coagulari solitum in solidam massam; in erysipelate neonatorum contra erumpente fluido lymphatico, aut puri adsimilando, adeo in remotissimis locis, potissimum in cavitatibus, reperto.
- 12) Pulmonum in telae c. induratione durities, sublividus color, nimia expletio; in erysipelate neonatorum contra laxitas vigensque rubor.
- 13) Creberrime patens in t. c. induratione et foramen ovale et ductus arteriosus Botalli; id quod in erysipelate nondum est observatum.
- 14) Hepar in t. c. induratione magnum quidem at raro adfectum, bilis apparatus normalis; in erysipelate e contrario hepatis insignes destructiones repertae.
- 15) Inflammatio interiorum organorum non nisi rarissime a Moscatio observatae, ut quae in erysipelate sunt frequentissimae.

Summâ eorum, quæ de utriusque morbi symptomatologia monuimus, collectâ, profluunt inde, prono quidem alveo, quæ sequuntur:

Rariorem esse morbum, plerumque non, nisi in hospitibus infantum expositorum, observatum, invadentem neonatos, in quibus circa pendenda oboriatur parva quaedam rubra macula, sensim amplificare solita, quâ intumescat, tendatur et in rubedinis vigorem transeat pars affecta, tactuque cieantur dolores. Cedere tangenti digito ruborem, albâ maculâ relictâ. Febrem consociari cum complicationibus gastricis et ictericis. Celeriter mortem inferre hoc malum, aut gangraena accedente, aut metastasibus internorum organorum, trismo rarius. Quem quidem morbum esse Erysipelas neonatorum, quod dicitur Anglicorum, Germanorum et Franco-Gallicorum medicorum alii, alii sub nomine indurationis t. cell., sinistre adhibito, describunt.

Alium e contrario neonatorum morbum esse multo etiam rariorem, pariter potissimum in hospitibus infantum expositorum obvium, exhibentem quidem sive uno, sive pluribus locis simul

durum tumorem, prementi digito non cedentem, albâ maculâ non relictâ; gelidum contrectanti; lutei ceraeque similis (nonnunquam rubicundi sublividive) coloris, non dolorosum, citra febris connubium, neque digestionis organis adfectis, at cum organorum respirationis perturbationibus consociatum, tetano plerumque, aut debilitate universali mortem inferentem.

En morbum istum, variis nominibus celebratum, qualia sunt: Telae cellulosae induratio, Endurcissement d. t. c., Skinbound etc.

Utriusque igitur morbi conditionis tam insigne est discrimen, ut alterum cum altero confundere in postremum vix quisquam potuerit. Mirumque foret, qui fieri posset, ut tam diu confunderetur uterque morbus, nisi fatendum esset medici observatoris, ad aegrotantis lectum constituti, animo non tam claram germanamque imaginem observari, quam quæ exhibetur descriptione. Saepe comparent complicationes (cum syphilide, ictero 97) quinimmo adeo cum cutis inflammabili

quacumque transitoria conditione, quibus impedita arduaue redditur diagnosi. Consideratis igitur morbi tum raritate, tum decursus ipsius celeritate, tum ipsa sua novitate, tum denique manca minusque accurata quorumpiam observatorum descriptione, intelligi facile licet, qui fieri potuerit, ut tantae caligini, tam incertae ancipitique conditioni hodieque obnoxia esse posset huius morbi notitia.

Utinam expertorum nobiscum jamjam communicatorum diligenti strenuoque studio, observationibus continuatis, recteque dijudicatis, nebulae dissipentur, quibus adhuc obtectus est hic artis nostrae campus!

#### §. 4.

### Aetiologia indurationis telae cellulosae.

Ad causales morbi rationes quod attinet, quam maxime adhuc positae sunt in incerto. Equidem, quae circa has repperim in auctoribus collecta, exhibitum eo lectoribus:

Causae praedisponentes quaesitae sunt tum in neonati matre, tum in ipso infante.

In illis ante Andriium quidem, numerari solebat gravidarum intemperantia in potuum spirituosorum usu, id quod tamen Andry refutat suorum observatorum fide 98). Syphilis quae laborarent matres, tamquam subsequenter t. cell. indurationis causa pariter, maxime a Goelasio, est incusata. Sed et matrum omnino bene valentium infantes visi sunt hoc morbo infestati. Nonne nimia gravidarum infirmitas, potissimum circa systema sexuale, huiusque nimis exilis vis plastica, unde justo parcius infantis nutritio proveniat, statui causa etiam potuerit?

In causis praedisponentibus in ipso infante quaerendis, numeranda sunt: infirmitas universalis, dyscrasiae connatae, ut scrophulae, syphilis etc 99) vitia organica systematis cholopoeitici turbata et respiratio et circulatio, ex vitio a cordis formatione oriundae 100).

Inter causas occasionales, pluribus

---

98) Andry l. c. p. 611 — 12.

99) Joh. Feiler. Paediatric. Sulzbachii 1814. P. 44.

100) Breschet. l. c. P. 484.

auctorum testibus, palmaria, frigus est. Frigus causam eo esse putat Andry, 101) quod rigorem inferat vernici caseosae, qua, quasi glutine, cutis pori obtegantur, eoque modo impediatur perspiratio invisibilis. Moscati 102) quidem frigus, tanquam causam in dubium vocat, monens, et vere et aestate obvias sibi fuisse telae cell. indurationes. At, ut taceam quod fere nunquam, nisi auctumno, ac hieme nascatur iste morbus; 103) nonne noctibus subfrigidis aestivorum mensium facillime inferri refrigeratio potuerit? Et Fenner de Fennenburg 104) frigus morbi causam non esse existimat, quod infans, medicae ipsius curae creditus, ad calidum fornacem fuisset collocatus, fasciis calidis obvolutus, necdum aëris injuriae expositus. Sed hic ipse nimius calor usus, vel minimâ incuriâ commissâ, inferre poterat refrigerationem. Praeterea hic ip-

---

101) l. c. P. 613.

102) l. c. P. 85.

103) J. Frank l. c. P. 77.

104) l. c. P. 228.

se memorat, 105) hoc ipso tempore arthritidem acutam morbosque catarrhales esse grassatos, humile etiam humidumque fuisse domicilium. Bruni 106) refert in hospitio infantum expositorum Florentino (gl'innocenti), rariorem factum esse hunc morbum, eo, quod neonatos non amplius in templo, sed in ipsis aedibus curasset baptizandos. Alio quidem respectu frigus, ut morbi causam, et Stütz 107) incusat, quod, vim adstringentem in telam cellulosa exserens, activitatem ejus imminuat, unde oboriantur infirmitas et spasmi.

Praeter refrigerium et depravatus aër hospitiorum infantum expositorum, neglecta tum mundities, tum in primis cutis lotio, eaque re impedita hujus activitas, et denique perversa ac praepostera victus ratio ad morbum istum generandum facere potuerint.

---

105) l. c. P. 248.

106) Leder l. c. P. 341.

107) l. c. P. 46.

Indurationis telae cellulosaе natura  
atque indoles.

Ingens quidem sententiarum atque hypothesium circa telae cellulosaе indurationis indolem ac naturam ejusque nascendae modum, ex parte sibi repugnantium, numerus est: ast, cheu! ingenue fatendum, valde imperfectam adhuc esse omnem nostram illius cognitionem, neque ab ullo virorum ex parte celebritate nobilissimorum, hac de re commentatorum, quaerentibus satisfacientem, plenam atque experientia comprobatae theoriam esse exhibitam. Cui meae sententiae fidem afferre conabor collectis et juxta sese positis theoriis hucusque cognitis, face critica quantum quidem mihi licuerit, collustratis, potiores, saltem ordine chronologico servato, examinaturus. Andry, 108) qui primus, artis salutaris cultorum, attentionem ad hanc morbi formam direxit, de studio medico egregie meritis, ita sentiebat de il-

---

108) l. c. P. 615.

lius generatione: Frigoris injuria oboriri spasmus cutaneum, obturantem cutis glandulas et opprimentem perspirationem invisibilem. Quam quidem dynamicam occlusionem praeterea mechanico modo adangeri arefacta cutis infantis vernice caseosa, veluti glutine cutem obducente. Hac ipsa re omnino retineri subtilem illam perspirationem, abundanter colligi perspirandam materiam, oriri tumorem durum frigidumque omnium partium, quibus multum insit telae cellulosaе, mucum humoremque gelatinae similem continentis, denique condensari atque indurescere huncce humorem, (gelatinae similem) in ipsa infantum tela cellulosa nunc ipsum copiosissimum. Partem contra albuminosam telae cellulosaе fluidam manere, constituentem extravasationes, post mortem reperiri solitas.

In qua explicandi ratione id quidem vituperandum esse videtur, quod nimis magni pretii fiat topica conditio, nec doceatur nascendi duri frigidique tumoris ratio; nec tradatur, qualis sit hujus morbi topici dira vis, quam in organismum tam immane exserat, ut, jam post

dies 7 — 9 sub summae infirmitatis signis, mors insequatur; nec denique explicetur, qua ratione partium constitutarum telae cellularis analysis chemica procedat.

Chambou, 109) Hulmii aliorumque observatis, quod nimirum adeps post mortem granosus, atque induratus animadvertatur, ductus, aliam superstruit theoriam, docens, telae cellulosae indurationis naturam atque indolem cerni in adipis induratione mechanica, frigoris vi illata. At quanto, quaeso, frigoris gradu opus foret, ad tantum adipis rigorem inferendum? Nonne ante moriendum infanti esset, quam insequi telae cellulosae induratio posset?

Le Febure de Villebrune, 110) operis Underwoodiani jam allegati Franco-Gallicus interpres, pariter aliam condidit theoriam. Visum quidem huic est, liquori amnii vim quan-

---

109) Chambou de Montaux: Les maladies des enfans. Parisiis, 1792. Capite XLIII. P. 292.

110) Underwood l. c. Praesidium versioni Franco-Gallicae a Lefebure de Villebrune factae praefixum.

dam adstringentem tribuere, quae embryonum cutem tantopere adficiat, ut telae cellulosae induratio inde oboriatur. Aciditate etiam, in infantum corporibus praevalet, terram osseam solvi et transvehi in sanguinem, atque inde in lympham. Quae quidem densata et in exteriores partes, in cutem et telam cellulosa nempe ejecta, et adipem induret. Huic auctori, theoriam istam ad insigniorem veri speciem perducturo, educendum simul fuerat, analyseos chemicae fide, liquori amnii vere inesse principium adstringens, ac monstrandum priores analyseos chemicae cultores quondam omnino errasse; denique, in cute densata et in tela cellulosa immutata, calcaria ossium, in formam aliam transversa, fuerat exhibenda, quae cuncta facta quidem ab illo non sunt. Sed vel tum praeterea theoriae ejus adversata fuisset experientia, extra omnem dubitationis aleam posita, t. cell. indurationem post partum demum oriri. Qui, quaeso, fieri potuerit, ut extra uterum, liquor amnii vim suam exserere posset in infantem? Tunc sequeretur etiam, ut remedia antacida ad telae cell. indurationem praesentis-

sima esse antidota, quorum efficaciam neque ipse, neque alii viderent aliam, nisi quod complicationes gastricas, fortuito cum t. cell. induratione consociatas, tollerent. Quibus rationibus adductus, non profiteri non possum, irritam esse hanc Villebrunii theoriam.

Hulme, 111) telae cell. indurationem pneumoniae symptoma esse putat, analogam abscessibus externisque inflammationibus, quae haud raro pneumoniae sunt comites, crisi invehentes.

Verum enim vero nulla in t. cell. induratione est febris, nulla aut accelerata respiratio, aut aucta caloris temperies: et quae quaeque pneumoniarum, quaeso, symptomatibus istis non fuerat concomitata?

Perill. C. Gu. Hufeland 112) persuasisse sibi videtur, telae cell. indurationem et erysipelas neonatorum eundem esse morbum. At quantumvis vario respectu alter alteri sit si-

---

111) Lodemann: l. c. P. 80.

112) l. c. P. 52.

millimus, utriusque tamen symptomata tantopere differunt, ut alterum cum altero permutari vix ac ne vix quidem liceat. Fusius hac de re tertio paragrapho disseruimus, ad quae ibi tradita, ne jam dicta repetere cogamur, ablegamus lectores.

Ad eandem illius sententiam accedunt Richter, 113) (qui tamen t. cell. indurationis sedem in ipsa tela cellulari, erysipelatis neonatorum contra, in cute vult collocatam), Marcus, 114) Seiler, 115) Fleisch, 116) Girtanner 117) et alii.

Cel. Jahn 118) t. cell. indurationem, etiam,

---

113) Richter: spec. Ther. Vol. II. P. 201.

114) F. A. Markus: Entwurf einer spec. Ther. Norimbergae. 1812. Vol. III. §. 69, 70.

115) Seiler: pract. Bemerkungen über d. wandernde Kinderrose, in: Rhein. Jahrb. Vol. VI Sect. I. P. 56.

116) Fleisch: Handbuch d. Kinderkktn. 1803 — 12. Vol. II. P. 285.

117) Girtanner: Ueber d. Kkhtn. d. Kinder, 1794. P. 135.

118) l. c. P. 207.

morbum erysipelati similem esse autumat, quem dicit erysipelas praeditum pronitate ad scirrhum (*Erysipelas scirrhosum*). Erysipelas omnino non esse, supra jam monuimus; contra usum epitheti: „scirrhosum“ submonendum nobis videtur, scirrhus malignam, uti constat, significari indurationem in carcinoma apertum transituram. Ast ubi, quaesumus, in indurationibus nostro in morbo obviis, talem unquam exitum repereris?

Hujus sententiae subscribit et Zimmermann 119).

Cel. Henke 120) probare adnititur inter t. cell. indurationem, erysipelas neonatorum et icterum neonatorum arctissimum intercedere connubium, adserens, trinos hosce morbos non esse existimandos, nisi formas (pro influxuum externorum diversitate) inmutatas, unius quidem ejusdemque fundamentalis status, cujus character palmarius functio laesa systematis hepatici

---

119) l. c. P. 348.

120) l. c. P. 206.

et sanguinis phlogistica sit conditio, ex hydrogenii et carbonici abundantia. Nititur ille in relationum de sectionibus factis fide, quibus quidem testibus, morbosum hepar sit repertum, tum vesica fellea tum vasis umbilicalibus abundanter expletis, quorum organorum sanguis ater (venös) fuerit repertus. Fides quam maxima his est tribuenda respectu pathogeniae icteri et erysipelatis: at t. cell. indurationem autem quod attinet, monendum, organa bilifera, a Breschet, 121) semper normalia esse reperta, hepar a Léger 122) magnum quidem sed raro morbosum 123). Ergo abnormitates, hoc in organo nunquam repertae, saltem non solae inservire possunt t. cell. indurationis origini explicandae. Pariter circa divisionem ab ipso factam in acutam nimirum et chronicam, objicere mihi liceat, non esse t. cell. indurationem, nisi unam; morbum autem, quem acutum dicere illi visum

---

121) l. c. P. 483.

122) l. c. P. 450.

123) Carus l. c. P. 117. Moscati l. c. P. 85.

est, nihil esse aliud, atque erysipelas neonatorum.

Cel. Stütz 124) proximam t. cell. indurationis causam reperiisse sibi videtur in tensione spasmodica telae cellulosae, aut singularum cellularum ejus extensione et primo quidem telae cellulosae vim sese contrahendi tribuens, deinde frigus tanquam constringens reputans, quippe quod, in organismi infirmitate universali, spasmos systemati tum musculari, tum cellulari inferre possit, denique, ex prospero antispasmodicorum usu in t. cell. indurationem iterum argumentatur spasmodicae hanc esse naturae. Quo quidem spasmo impediri humorum circulationem, hisque ita haerentibus singulis locis, rubrum illum, aut lividum oriri cutis colorem, duritiem ac tensionem. — At non obijcere non possum admodum dubiam esse et a vero omnino alienam telae cellularis eam irritabilitatem, qua foret opus ad spasmos tonicos, aut clonicos admittendos, non repertos, nisi

---

124) l. c. P. 44.

in ejusmodi partibus, in quibus deprehenduntur verae fibrae musculares. Ad musculus irritabilitas pertinet, ad telam cellularem autem vis elastica, in tegumentis ac membranis reperi solita. Ex remediorum antispasmodicorum prospero usu, ratiocinanti obstat omnino observatio nunquam contigisse medicis, certam telae cell. indurationi medendi methodum invenire, obstat item experientia, docens, tum adhibitis antispasmodicis remediis, mori plurimos aegrotorum, tum aliorum remediorum usu recuperasse sanitatem. Qua denique ratione explicari tum, quaeso, licuerit extravasata? Nonne potius spasmi comprimentes parietes telae cellulosae propulerint humores quam in sese collegerint?

Jos. Frank 125) memorat, tetano simillimam sibi videri t. cell. indurationem. Constat quidem, hoc cum morbo tetanum creberrime consociari, quod utriusque consortium aegrotis ab ipso observatis contigisse videtur, qua re

---

125) l. c. P. 72.

adduci poterat in istam sententiam. Frequentissime autem animadverti licet et citra tetani connubium, t. cell. indurationem. Denique quanta tum est utriusque morbi diversitas! Ubi quaeso, (unum solummodo characteristicum symptoma ut commemorem) ubi, inquam, in tetano cutem, musculos obtegendum reperias frigidam, decolorem, loco suo non movendam?

III. Lodermann 126), de t. cell. induratione indaganda maxime meritis, docet, duas esse hujus morbi species: alteram eam esse, quae Franco-Gallis *Endurcissement* d. t. cell. audiatur, alteram, quam *Skin-bound* dicunt Angli. Priorem quidem pariter inflammationem erysipelati similem esse autumat, at submonens 127): „Die Krankheit erscheint da, wo sie als Z. V. angesehen wird mit solchen auffallenden Erscheinungen, dass sie dadurch als Rose ganz undeutlich wird.“ sibi ipse contradicit. Alteram morbi speciem in nulla re nec conditione ery-

---

126) l. c. P. 83.

127) l. c. P. 85.

sipelati putat esse similem, et pathologica indole conspicuam, adhuc omnino obscuram. Ipso iudice hanc ab Anglis descriptam speciem phlegmatiae albae dolenti esse simillimam. In hoc autem morbo animadvertuntur: febris continua, vehementes dolores, aut normalis, aut adeo aucta caloris temperies partium adfectarum, et tumor, instar ligni, durus, in morbi decursu demum consociari solitus 128). Quae cuncta symptomata neutiquam conveniunt cum t. cell. indurationis imagine, neque ullo modo alteram cum altera confundi licet.

Cel. Fischer 129) probare studet, erysipelatis neonatorum, stomacacis et indurationis t. cell. ingenuam paritatem, utpote quam unius ejusdemque inflammabilis indolis fundamentalis esse putet. Quum tamen ea organa adficiat inflammatio, quae jam ante fuisset asthenica: ad-

---

128) J. C. Jörg: Handbuch d. Krankh. d. Weibes. Lipsiae, 1821. P. 895.

129) Fischer: Ueber d. Mundfäule, Rose und Z. V. der Neugeb. etc. in: Hufel. Journ. Vol. XXXIII, Sect. I, P. 84.

paratum antiphlogisticum non omnino, sed quaedam modificatione esse adplicandum. In t. cell. induratione et in stomacace maligna occurrunt quidem similia quaedam symptomata, ut: durties, tumor; at discrepat tamen illa a stomacace maligna, quippe in qua praeter duo ista symptomata, et inflammatio, gingivae sanguinatio atque atra in genis macula, latius diffundi solita 130), animadvertatur. Ratione paritatis morbi nostri et erysipelatis ab illo adsertae, ad dissertationis nostrae paragraphum tertium ablegatos volumus lectores. Hinc etiam sequitur, therapeutico quidem respectu, antiphlogisticorum levioris notae usum, quamvis in erysipelate forte admitti licuerit, in telae cell. induratione tamen tractanda, neuiquam conducere.

III. Goelis 131) t. cell. indurationem syphilidis formam esse existimat, adserens, semper in infantibus solis, sive in ipso utero, sive inter

130) A. Henke Handbuch d. Kinderkkin. Francofurti ad Moenum. 1821. Vol. II. P. 263.

131) Salz. med.-chir. Zeitung 1815. P. 128 et 1812 P. 158.

pariendum, a matribus, syphilide laborantibus, infectis, eam esse obviam.

Omnino quidem verum est frequenter occurrere t. cell. indurationem cum syphilide complicatam, verum deinde est, syphilidem, ubi exsiterit in infantibus, his pronitatem ad t. cell. indurationem nanciscendum inferre, adeoque infantes, parentibus, syphilide adfectis, prognatos, multo frequentius in morbum incidere quam a sanis, nulla dyscrasia laborantibus, genitos; verum denique est, antisiphilitica, t. cell. indurationi curandae, optato quidem eventu, frequentissime esse adhibita.

At contra t. cell. induratio citra ullum symptomata syphiliticum, neque in infante, nec in matre, est observata. Frequentiae hujus complicationis causa in eo posita esse videtur, quod telae cell. induratio maxime in hospitiiis infantum expositorum est obvia, et infantum ibi natorum major numerus spurii sunt, quorum matres uti constat, creberrime syphilide laborant. T. cell. indurationis autem cum syphilide complicatae frequentia rationem reddit toties observati salutaris antisiphiliticorum usus in isto ipso morbo. At

dubitari licet, an in simplici t. cell. induratione illa quicquam conduxerint.

At Goelisii sententiam, praeter alios, accessit etiam Cel. Wiesner. 132)

III. Garus 133) existimat, t. cell. indurationem cerni in omnino imminuta vi vitali maximeque circa cutis functiones. Quam sententiam equidem eam esse duco, quae ad verum proxime accedat, et ad quam infra, singula phaenomena explicaturo mihi iterum erit revertendum. Commonefacit ille similitudinis intercedentis inter t. cellulosae indurationem et marasmm senilem, cui perinde atque illi aetas sit obnoxia, aetati foetus vario respectu simillima, qui pariter summa concomitatus sit infirmitate, ex topica quadam destructione procedens, mox cum universo organismo passionem communicet mortemque pariter plerumque inferat.

Cel. Eggert 134) autumat, generari hunc

---

132) Wiesner: de tela cellulari indurata, Dissert. inaug. Berol. 1816.

133) l. c. P. 114.

134) F. G. J. Eggert: Ueber die Wasserstucht. 1817 P. 13.

morbum gasis animalis imperfecta evolutione, imminuta ejus vi et exinde subsecuto quodam rigore (Substantiellwerden,) Cui gasi ille omnino magnam vim tribuit, quam, in animali oeconomia, exserat, ejusque activitatem a vi vitali omnino pendere, persuasum habet. Quamcunque secunda haec hypothesis aliquando fieri potuerit, jamnunc quidem, quamdiu nondum comprobatum est, hoc gas vere inesse in variis organis, imprimis in corporis tegumentis, ubi quidem in naturali statu cognosci nequit, sane haud insignis lux morbi nostri pathogeniae et therapiae inde offundi potuerit.

III. Fenner a Fennenburg 135) de certo quodam veneno, tanquam morbi causam, cogitat, quod nobis adhuc quidem incognitum, sub certis quibusdam conditionibus evolutum, in primis noxium neonatis, rigore t. cell. illato, calorisque animalis evolutione impedita, vitalem vim violenter infestet mortemque adducat. Quod venenum in eorum, quae in nosologia jam commemorari solent, numero ille recenset,

---

135) l. c. P. 228.

qualia sunt: syphiliticum, herpeticum etc. Ipse tamen objectiones obstare visas huic suae sententiae commemorat, ingenue submonens: vererise, ne hypothesis ancipitium numerum, quum ejusmodi veneni existentia dilucidis argumentis probari non possit, hacce sua fortassis auxerit. Et quid, quaeso, lucri commodive inde redundare ad therapiam possit? veneni hujus more hypothetici natura atque indole omnino nondum commonstrata!

III. Harless 136) t. cell. indurationem, alterum stadium, seu morbum secundarium peculiaris speciei erysipelatis esse putat, cujus causae nascendique rationes latentes ita sunt comparatae, ut, solito exitu recusato, hunc per t. cell. indurationem deligant. Argumenta, quibus munire ille studet haec adserta, sunt fere, quae sequuntur: Observationibus suis testibus, t. cell. indurationem semper cum inflammabili cutis con-

---

136) C. F. Harless: Bemerkungen und Beobachtungen über d. Z. V. und Rose d. Neug. in Rhein-Jahrb. Vol. III. Sect. II. P. 85.

ditione coepisse, eamque sequi post causas, erysipelatis generationem admittentes. Stadium autem erysipelatosum mox finire, loca cutis, in principio rubicunda non livescere, aut transire in atrum ruborem, sed in cerac flavedinem, semipellucida fieri, maximam partem evanescere calorem, frigore tamen, quod ab auctorum plurimis commemoratur non exorto, et tum demum t. cell. indurationem esse formatam.

Hujus autem sententiae fidem infringunt observata veterum recentiorumque auctorum, 137) qui in t. cell. induratione, hujusque ipsis primordiis, nullam omnino inflammationem percipiebant. Magis verisimile igitur est, Harlessium, cui non nisi paucissimos ejusmodi aegrotos observare licuit errasse, quam illos viros, quorum, maxime Breschetii, curae medicae quotannis permulti erant traditi. Alterum, in quo sententiae ipsius fides nititur, argumentum, (causae nimirum,) se refutat ipsum. Quis enim est, qui

---

137) Jos. Frank: Praecepta praxeos medicae. Vol. II. P. 623. — Fenner a Fennenburg: l. c. P. 83. — Breschet: l. c. P. 481.

ignoret, ex causis simillimis, diversissimos posse oriri morbos? Ex tribus illis, quae observari ipsi omnino contigit, morbi exemplis, tum ex duobus quorum latiore descriptionem exhibet, 138) tum ex illo, quod mutuatus est a Jaegero, 139) quibus superstruxit suam theoriam, me quidem iudice, non effici videtur, quod inde effici Harless sibi persuasit. Liquet, tria ista exempla fuisse erysipelatis, dissolutione, suppuratione et gangraena non, uti solet, sed induratione, haud minus rara, finiti. Quodsi induratio, sedem figens in tela cellulosa, unicum esset nostri morbi signum characteristicum, neque et aliae forent pathognomicae conditiones, sub quibus observari liceat hoc symptoma, vera docuisse Harless esset putandus. Verum enim vero per multa alia t. cell. indurationi quum tribuenda sint phaenomena, in laudatis morbi historiis non commemorata, et quum alii etiam morbi, ut erysipelas, in indurationis connubio deprehendi

---

138) l. c. P. 132 — 137.

139) l. c. P. 44.

possint (qui horum exitus omnino rarus non est 140) assentiri equidem nequeo Harlessii placitis.

III. Breschet 141) docet, t. cell. indurationem cerni in impeditis respirationis et circulationis functionibus, quum respirandi et circulandi organa imperfecte formentur. Superstruit ille adsertorum suorum fidem infirmitati, semper observari solitae, pulsui fere tactu non percipiendo cordisque ictui, vocis debilitate, anxiiis infantis motibus in spirando, sanguinis accumulationi post mortem repertae, duritiei et obstructioni, in pulmonibus, et mechanicis cordis vitiis, constantibus in foraminis ovalis et ductus arteriosi patente conditione. Quodsi in sola organorum circulationis ac respirationis imperfecta evolutione quaeri liceret morbi nanciscendi causam sufficientem cordis pulmonumque abnormitates in mortuis repertae, t. cell. indurationem explicaturo suffecerint: at non ab aliis solum, sed ab illo ipso etiam, cordis forma, praevia t. cell. in-

---

140) G. A. Richter: spec. Ther. Vol. II. P. 206.

141) l. c. P. 451. —

duratione, normalis est reperta 142) Quaeri igitur licet, unde oriatur illa t. cell. induratio nulla ubi adfuerint ejusmodi vitia formativa? Cui sane legitimae quaestioni ex Breschetii theoria responderi omnino nequit. Et tum hac ipsa de causa, tum quod semper non reperiri non posset t. cell. induratio in recens natis, (id quod non nisi rarissime accidit,) et quod tum mirum foret, quo pacto omnino locum habere ulla sanatio possit, quum vitiarum formationis corrigendorum fere utique irritus sit omnis nisus — equidem insignem fidem tribuere nequeo istis viri doctissimi placitis.

Quantumcunque veri et fructuosi inest theoriarum modo enumeratis ac perlustratis, conditis ex parte ab artis nostrae primoribus, tamen exili meo earum refutandarum, quod facere ausus sum, periculo, me monstrasse mihi videor, earum omnino nullam sat solidis superstructam esse fundamentis, singulas potius, aliam plures, pauciores aliam admittere objectiones aut t. cell.

---

142) Hasper l. c. P. 65.

indurationis symptomata haud sufficienter explicare.

Meo quidem arbitrato omnium proxime ad veritatis fidem accedit Hil. Cari sententia. Verumtamen quum passionis semper participes sint pulmones, id quod, tum morbo vigente, impedita, debilis visuque vix percipienda respiratio docet, tum nimia expletio, durities etc. post mortem: definitioni naturae atque indolis hujus morbi praeterea et pulmonum quandam adfectionem inserendam esse crediderim, ita, ut doceri liceat:

Telae cellulosae indurationem cerni in univ. in vigoris vitalis defectu, et potissimum quidem circa respirationis organa, sensu latiori accepta.

Conditionum, sub quibus oriri solet morbus et potissimum causarum ejus praedisponentium et occasionalium ratione habita, ex hisce meditationibus facile intelligas, iis ipsis clarum rei veritatem omnino confirmari. In causis illis omnibus obvia nobis erant momenta, quae ener-

giam tum in universum, tum potissimum cutis et pulmonum imminuere possint. In adseri nostri fidem, vim suam exserunt tanquam causae praedisponentes: tenera infantum aetas, infirmus corporis habitus, dyscrasiae, quibus simul haec aetas saepius est adfecta 143), systematis lymphatici turbationes, fortassis ex scrophulosa, vel syphilitica matrum conditione oriundae, mala infantis nutritio tempore graviditatis, ex nimis exigua activitate plastica partium genitalium matris, vitia topica centri circulationis sanguinis haud raro reperta; — et tanquam causae occasionales: neglecta cutis cura, refrigeratio, aër hospitiorum infantum expositorum corruptus. Pariter etiam, ut mihi videtur, singulorum t. cell. indurationis symptomatum prona inde fluit explicatio, sicuti insigniorum maximeque sibi constantium symptomatum collustrandorum specimine, in medium jam proferendo, me comprobaturum esse spero:

---

143) Doublet, in: Reddelien, kleine Abhandlungen und Beobachtungen über d. Rose d. Neugeb. u. d. Z. V. — Quod opus mihi non contigit videre.

**Frigus.** Inter caloris animalis evolutionem effusionemque et hujus fontem palmarium, nimirum sanguinis circulationem et normalem decompositionem, sine dubio proxima intercedit relatio. Atqui circulatio et respiratio ex organorum suorum vi vitali pendent. Quodsi sanguis arteriosus externis impedimentis, ut nimio quodam medii circumdantis frigore, a corporis superficie reprimatur, aut cordis infirmitate relativa impediatur, quominus eo perveniat, aut, si per chemicas sive dynamicas relationes sanguinis et organorum vim suam in hunc exserentium, ut vasorum minimorum finiumque nervorum non satis liberetur caloricum: per haec singula frigus externarum partium percipitur. Transitorium hoc frigus animadvertitur in spasmis hystericis et in syncope, permanens autem in hoc nostro morbo, ob magis absolutam vigoris vitalis inopiam, indeque oriundam infirmitatem organorum respirationis.

**Tumoris durities.** Eadem vigoris vitalis penuria systemati venoso et lymphatico quoque infert injuriam, hinc et utriusque cessant functiones, haerent fluida canalibus, quibus continentur, hos expandunt, colore mutato, destrunt et eo modo

durum et elasticum gignunt tumorem, quo quidem insignis est t. cell. induratio. Nonnunquam, cum insignior est cutis decoloratio, similis processus locum habuerit, qualis in sphacelo licet animadverti. Sicut, hoc in morbo, sanum se separare studet a mortuo, ita paralysis topica cutis congestiones infert in sua vicinia, nimis infirmamquam quae mederi paralyti aut separare emortu, um possint, at ansam praebentes, tum, impedita perspiratione, ut serosa fluida effundantur et massulae adipis telae cellulosa sub cute coagulentur, tum etiam ut in ipsis vasis sanguiferis stagnationes oriantur, unde deinde lividus tumoris vultus est derivandus, sicut et durities ejus efficiatur necesse est ista effusione.

Conditio inflammabilis nulla. Inflammatio et febris oriri, uti constat, non possunt, nisi utriusque factoris vitae, sensibilitatis atque irritabilitatis aequilibrio sublato, ergo altero factore alteri, sibi quidem opposito, praevalente. Utroque autem aequabiliter debilitato, sicut in nostro morbo, ubi, debilitante influxu, ipsa vis vitalis, ab utroque factore oriunda, est adfecta, facile intelligitur, nullam oriri febrem, inflamma-

tionemque nullam, sed generari morbum, energetica systematis vasorum reactione non antecedente.

Haud minus in promptu est responsio, si quaeras, qui fiat, ut cutis ac tela cellulosa primum adficiatur? Nam in fines nervorum periphericorum et in systema capillare cutis, frigus, tanquam causam, ab omnibus cognitam, vim suam exerere constat. Hinc fieri non potest, quin cutis ac tela cellulosa, systematibus adfectis maxime vicinae primae obnoxiae fiant morbosae conditioni, et causis nimiam vim in eas exerentibus, nimis irritatae paralyticam nanciscantur conditionem. Mox et organa, inter quae et cutem telamque cellulosa proxima intercedit relatio, pulmones nimirum, pariter adficiuntur, deinde demum reliqua etiam organa ceteris functionibus sensim exstinctis.

Tumor post mortem evanescens. Ex antecedentibus cognosci licet, ex reactione organismi versus paralytin topicam oriri tumorem. Quanto vis vitalis est infirmior, tanto debilior reactio donec denique, vi vitali exstincta, et reactio exstinguitur.

Vitia formativa cordis non quidem in necessariis telae cell. indurationis symptomatibus numeranda, tam saepe tamen occurrunt, quippe quae Breschetio teste, novissimo illo t. cell. indurationis scrutatore, tantum in hanc valeat, ut jam ex iis potissimum morbi omnem indolem et naturam explicare posse putet, ita, ut adducar ad comonstrandum, eandem et ex mea theoria aeque facilem admittere explicationem. Foramen ovale primis demum post partum diebus claudi, serius etiam ductum arteriosum Botalli, constat inter artis peritos. Quodsi vigoris vitalis penuria ex potentiis praeviis, dum foetus commoratur in utero, pendet, his et post partum vim suam exerentibus, aut forte auctis novarum accessu, necesse est, ut nec vis formativa, utpote quae non est, nisi veluti ramus vigoris vitalis universalis, hac succumbente activitatem exhibere ullam possit, organis, potius quorum formatio illi adhuc erat perficienda, in imperfectionis statu relictis.

Qua insigniorum symptomatum t. cell. indurationis explicatione modo exhibita, haud minus, quam causarum ante enumeratarum contemplatione, fidem nancisci videtur nostra, circa il-

lius naturam atque indolem supra cum lectoribus communicata sententia.

### §. 6.

#### P r o g n o s i s .

Valde quidem variant variorum auctorum relationes de hujus morbi prognosi; attamen omnes in eo consentiunt t. cell. indurationem magnum minitare periculum, qua laborantium plurimi pereant. Complures memorant, nisi omnes, certe tamen plurimos, t. cell. induratione infestatos esse mortuos.

Tenone teste 144) medius hoc morbo laborantium numerus, in hospicio infantum expositorum (Hôpital des enfans trouvés) est 600; quorum plurimi morerentur: Caspar 145) refert de eodem instituto, annis 1808 — 1811 ex 645 aegrotorum numero, mortuos esse 567; ergo novem, qui decem fuissent.

---

144) Tenon: in Mémoires sur les hôpitaux de Paris. p. 281.

145) Caspar: Charakteristik franz. d. Medicin etc; Lips. 1823. P. 505.

J. Gu. Schmitt 146) saepe animadverterat istum morbum, at nunquam prospere succedente medela.

Breschet, Haspero teste, 147) e viginti aegrotantium numero plerumque undevicentorum fecit jacturam.

Loder 148) refert, Brunium. A. 1810 in hospitio infantum expositorum Florentino (gl' innocenti) ex 100 infantibus 55 sanitati restituisse.

Andry 149) ex 19 infantibus restituit 9.

III. Goelissii 150) medica t. cell. induratione laborantium cura omnium erat prosperissima, ut qua 40 aegrotis infantibus impensa, non nisi 5 morerentur; ergo ex octonis, unus.

Plurimis hujus morbi observatorum testibus auctumno et hieme frequentissimus erat iste morbus. Magis esse solebat periculum infantibus aut

---

146) J. W. Schmitt: Salz. med. Zeitg. 1813. No. 7. P. 100.

147) l. c. P. 69.

148) l. c. P. 141.

149) l. c. P. 608.

150) Salz. med.-chir. Zeitg. 1813. No. 15. P. 123.

statim post partum eo infestatis, aut cum eo natis, minus contra serius adpetente morbo. Rarius hoc malum minusque lethiferum videbat Cel. Caspar, 151) cum nutricium haud esset penuria, quam tum, cum nutriendorum infantum arte quacunq; fuisset opus. Minus quoque periculum erat una tantum e singulis parte indurata, quam quum 'plures' partes simul obnoxiae essent indurationi.

Moscatti 152) commonefacit aphtarum quos „Fungitti“ vocat, tanquam signorum sperandae reconvalescentiae. Omnes aegroti, in quibus conspicuae erant illae aphtae, in vivis manebant.

#### §. 7.

Telae cellulosae indurationis cura.

Haud minus diversae erant methodi huic morbo medendi, quibus usi sunt medici, quam discrepant eorum opiniones circa illius generandi modum, indolem ac naturam. Prouti quisque sibi persuaserat, hunc morbum esse aut topicum malum, aut universale, aut meram erysipelatis

---

151) l. c. P. 505.

152) l. c. P. 85.

varietatem, aut aliorum morborum symptoma, aut turbatae functionis respirationis et hepatis effectum, aut inflammationem aut spasmus etc. ita in hisce materiae medicae capitibus, adversus id mali quaesita sunt remedia. Funestus saepe eventus erat, saepius anceps, raro faustus. Unde clare elucet theoriarum de f. cell. induratione hodieque conditarum imperfecta conditio, sicut provocatio inde resonat ad id agendum, quocunque modo fieri possit, ut tam diu parvulorum necatoris, qualis hic morbus est, vis tandem infringatur. Liceat igitur medendi methodum mihi quidem arridentem, cujus ope alter infantum a me Berolini observatorum restituebatur, communicare cum benevolis lectoribus; quam ut experientia olim comprobet, in votis habeo.

In quocunque neonato diligenter observandum, numquid infirmitatis sive universalis sive inprimis organorum respirationis reperiantur vestigia. Quibus repertis duplo majori attentione opus est summaque cura, ut commoda victus cultusque ratione observata, evitetur morbi eruptio. Defendendus igitur infans est a tempestatis injuria, arcendus a vitiis diaeteticis committendis, dili-

genter gesta cutis parvuli cura. Quodsi tamen, licet providentia hac adhibita, eruperit morbus, commendandus est remediorum incitantium usus internus in istius decursu adaugendus. Ex remediorum hujus classis copia plurimum commendanda fuerint: Ammonium, ejusque praeparata, Aether, Vinum, Camphora et Moschus. Ad externum usum equidem suaserim balnea vaporum, balnea aromatica eademque calida, balnea e vino, saepius repetita; in balneorum adhibitorum intervallis unguentum volatile, in oleorum aethericorum connubio, infricandum, aut Ungu. mercurial. terebinth; universa corporis superficie laneis laciniis, vaporibus aromaticis ante infectis, fricata. Methodi hujus medendi auctores et patroni sunt: Andry, 153) Carus, 154) Stütz, 155), Goelis 156) et Breschet 157) qui singula illa de meliori jam jam commendarunt remedia.

---

153) l. c. 615.

154) l. c. p. 131.

155) l. c. P. 35.

156) Salz. Zeitg, 1812. Vol. I. P. 182.

157) Hasper l. c. P. 58.

Quum consuetudo obtineat, praestantissimorum medicorum, artis suae praxi vacantium, exemplis sacrata, ut, ubicunque remedia ad morbum quendam nostro quidem arbitrato adhibenda, non respondeant consilio nostro, theoriae nostrae amore capti, illorum usum ne continuemus, aliis potius adhibitis, aliorum medicorum experientia comprobatis, quantumvis maxime abhorreant a nostra theoria; quum, inquam, jam in curandis quibuscunque aliis morbis hac agendi ratione uti oporteat, tanto magis hoc in morbo, cujus natura et indoles tantis adhuc obfusa est tenebris, fuerit commendanda. Quam ob rem ab instituti mei ratione non alienum mihi esse videtur, potiora, quibus hodieque, ad t. cell. indurationem debellandam, usi sunt medici, in medium proferre remedia, simul relato illorum adhibitorum eventu.

Balneis aromaticis in 9 infantibus Andry 158) usus est egregio effectus. Adhibuerat quidem herbam *Salviae*, non tamen existimans, in hac sola inesse virtutem specificam ad meden-

---

158) l. c. P. 615.

dum telae cellulosae indurationi, sed illius loco perinde salutarem fore Decocti Cort. Peruv., Infus. flor. samb. et flor. chamomill. usum. Quibus balneis deinde subjunxit *Vesicatoria*, tumidis locis imposita, optimo quidem successu. Andryi aequales balneorum aromaticorum usum celebrant iidem.

Balnea vaporum in puella curanda Curzio 159) adhibuit haud sine exoptata successu, sero lactis ante propinato et venae sectione adhibita. Caspar 160) laudibus celebrat haec balnea, tanquam palmarium remediorum, convenientissimo adparatu descripto, quo usi sunt in hospitio infantum expositorum (*Hôpital des enfans trouvés*), unde 6 — 12 infantes simul frui hoc balneo possunt. Sunt quoque complures alii, 161) qui quam maxime id remedii collaudent. Franco-Galli in solius hujus remedii usu adquiescunt, internis omnino non associatis.

---

159) l. c. P. 96.

160) l. c. P. 505. et in *Salzb. Zeitg.* 1823. No. 80.

161) l. c. Souville in: *Richter chir. Bibliothek.* Vol. XI. P. 463.

Aëris inflatio per tubulum a Chaussierio inventum, cujus periculum Breschet 162) fecit, inanis erat.

Frictiones pannis calidis, suffitu impletis, iisdemque involutis infantibus, collaudat Moscati, suâ adductus experientia 165),

Hirudines pone aures admotas commendant Doublet et Chambon, 164) at forte tamen non adhibendas, nisi complicata telae cellulosa induratione cum erysipelate, nonnunquam obvia.

Cortex peruvianus et aether aceticus a Bromfieldio 165) et Gartschore 166) saepe sunt adhibiti, in spiritus camphorati externe admissi conubio. Lodemann 167) collaudat idem haec remedia, in Vini antim. Huxl. conubio, evacuantibus praemissis. Quae quidem methodo infantes 6 eripuit periculo. †

Liquorem anod. Hoff., Liq. c. c. et Aetherum acet. praemissis resinosis amaris evacuantibus remediis, sua experientia edoctus, laudibus celebrat Moscati. Comprobata qui-

162) Hasper l. c. P. 68.

163) l. c. P. 85.

164) l. c.

165) Richter chir. Bibl. Vol. XIII. pag. 581.

166) Samlg. auserl. Abhdgn. etc. XV. p. 508.

167) l. c. P. 66.

dem sunt et a Stützio 168) haecce remedia, sed infausto successu adhibita.

Serpentariam, Arnicam, Digitalem, Camphoram, Moschum, Ammonium, Antimonium et Mercurialia ad internum usum, et hirudines, epithemata aromatica, Empl. de minio, balnea subfrigida in alcalium conubio, suadet Fischer 169)

Ammonium, huiusque praeparata ad internum usum et Ung. volatile cum calce ad externos, maxime laudat Bruni 170) quippe quod optatum ad materiam cellularem dissolvendam, sit remedium et oleum praesidii partibus fungatur adversus hunc morbum. Quibus remediis adhibitis, ex aegrotorum centum numero non moriebantur, nisi quinquageni quaterni, quam ante mortui essent omnes:

Mercurialia, secundum expertorum Goëlisii 171) fidem, miram omnino vim exerebant, ita ut ex aegrotorum quadraginta numero octoni perirent. Conducebat etiam, eodem teste Tinctura antisymphil. Besnardii. Idem hisce remediis Cel. Henke 172) defert praeconium.

168) l. c. P. 35.

169) l. c. P. 86.

170) Loder. l. c. pag. 341.

171) Salz. med. chir. Zeit. 1815. IV. P. 128. et 1812. I. pag. 158.

172) l. c. pag. 209.

T H E S E S

---

1. Induratio telae cellulosaе, Icterus neonatorum et Erysipelas neonatorum nequiquam sunt permiscenda.
  2. Non expirando sed inspirando moritur homo.
  3. Operatio cataractae in utroque oculo simul est perficienda.
  4. Perforationem minime ex arte obstetricia proscribendam censeo.
  5. Plenus venter, studet libenter.
  6. Chylus paratur priusquam cibi in duodenum pervenerint.
  7. Qui inflammatione nescit uti, inflammationibus nescit mederi.
-